

Hermann Lembke Dethlev Marckmann

Dissertatio Iuridica. De Necessaria Defensione

[Rostock]: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735205884>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 4. Mai 1659

Lembken, Herm.

2. 25

Notwendige Verteidigung

DISSERTATIO JURIDICA.
DE
NECESSARIA
DEFENSIONE.

Quam

Consensu Amplissimæ Facultatis Ju-
ridicæ in alma Rostochiensium
Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi & Consultissimi

DN. HERMANNI Lembken

J.U.D. & Professoris Publici, quon-
dam Hospitis, nunc Patroni & Fautoris
summè venerandi,

I. D. 180.

Publicè ventilandam proponit

DETHLEV. MARCKMANN.

Neustadio. Holsatus. Auth. & Respond.

*Die IV. Maji. In' Au-
ditorio Majori.*

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LIX.

1659

DISSERTATIO JURIDICA
DE
NECESSARIA
DEFENSIONE

Consensu Amplissimi Facultatis Jur-
idicae in Almae Matris Rostochensis
Academiae
Suae Praesidio



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

Thef. I.

Cum omni animantium generi à natura sit tributum, ut se. vitam, corpusq; tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, uti *Cic. lib. 1. offic. asserit.* Non minus & Homini contra Aggressorem se necessariò defendere, & instans periculum, servato moderamine inculpatae tutelæ, etiam cum internecone alterius propellere licet, *l. 4. §. 1. s. in fin. princ. ff. ad L. Aquil. V*im enim vi defendere non solum Naturalis ratio, *l. 4. pr. ff. ad L. Aquil.* Sed etiam Omnes leges, Omniaque jura permittunt *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* & defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur *l. 3. C. ad L. Cornel. de Sicariis. Const. Criminal. Carol. V. art. 139.* Welcher eine rechte Nothwehr zu Rettung seines Leibes und Lebens thut / und den jenigen / welcher ihn also benöthigt / in solcher Nothwehr entleibt / der ist darumb niemand nichts schuldig.

Thef. II.

De qua *Necessaria Defensione*, tanquam tali juris parte, quæ singulis penè diebus in judiciis nostris occurrit, pro exiguo ingenii mei modulo dissertaturus, prius nomen rei, tanquam principium, sine quo ulterius progredi non licet, quam rem ipsam considerare lubet, sæpè enim

A 2

a cogni-

à cognitione nominis descendimus in ipsius rei notici-
am, & in omni tractatu rerum quidem potior, prior ta-
men verborum ratio haberi debet. l. 1. ff. de rebus creditis. l. 7.
in fm. d. suppell. leg. ar.

Thef. III.

In cognitione autem nominis tria hæc considera-
da veniunt. 1. Etymologia, s. Originatio. 2. Homony-
mia, s. Æquivocatio. 3. Synonymia, s. Cognominatio.

Thef. IV.

Dicitur *Defensio*, à defendendo. *Necessaria* autem à
necessitudine, quod durissimo necessitatis tempore ad-
hiberi, non verò ultra necessitatem extendi debeat, unde
etiam Germanicè vocatur *Nothwehr*.

Thef. V.

Sumitur autem in iure *Defensio* 1. pro patrocini-
o pupillorum l. 10. & l. 30. ff. d. administ. Tut. 2. pro excusa-
tione, l. 33. §. 2. de procuratoribus. l. 23. ff. de usuris. 3. pro Ex-
ceptione l. 1. C. de juris & fact. ignor. l. 4. l. 9. C. d. Except.
4. deniq; pro instantis imminensve periculi propulsa-
tione, & hæc posterior significatio hujus est loci.

Ib. VI.

Appellatur aliàs moderamen inculpatæ tutelæ l. 1. C.
und. vi. Item *Vis & injuriæ propulsatio* l. 3. ff. d. J. & J.
Item *Tutela corporis dict. l. 3.*

Ib. VII.

His de nomine *Necessariæ defensionis* præmissis,
ipsam rem aggredimur. & talem ponimus *Definitionem*.
*Necessaria Defensio est presentis & imminentis vis ac injuriæ,
cum moderamine inculpatæ tutelæ facta propulsatio dict. l. 3. ff. d.
J. & J. l. 4. princ. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi.*

Thef. VIII.

Thef. VIII.
Cum autem res optime intelligatur, quando ejus causas perspectas habemus, & SCIRE sitrem per causas cognoscere, causas Necessariae defensionis breviter explicabimus.

Thef. IX.
Causa Defensionis Efficiens, alia est remota, alia propinqua. Remota est jus omne, quod defensionem permittit: Veluti.

Thef. X.
1. Jus Naturale, quia vitae corporisq; simplex defensio, omnibus animantibus tributa est. l. 1. §. 11. ff. si quad. pauper. & c. l. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur. princ. Inst. de Jur. Natural. Gentium, & Civili.

Nec solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.

Thef. XI.
2. Jus Gentium. Nam sicuti omnes gentes naturali ratione l. ratiocinatione adducta nefas esse putant, ut alteri insidietur, ita justum e contra esse putant, ut aliquis vim atq; injuriam propulset. l. 3. ff. de Just. & Jur. Et ipsa naturalis omnium gentium ratio adversus periculum se defendere permittit. l. 4. princ. ff. ad L. Aquil.

Thef. XII.
3. Jus Divinum, vi quinsi praeccepti Decalogi: NON OCCIDES, quo non solum continetur, ne alios interficiamus, sed etiam ut nos ipsos defendamus, ac tueamur. Adeo, ut illos, qui se contra vim illatam non defendunt, non minus peccare putemus, quam qui sibi ipsis violentas inferunt manus. utroq; enim modo quis vitam, quam omni jure tueri potuit ac debuit, perdit, cum tamen ne-

mo sit membrorum suorum Dominus. *l. 13. pr. ad L. Aquil.*
& juxta præceptum Christi, diliges proximum tuum sic-
ut te ipsum, non minus nos ipsos, quam proximum dili-
gere teneamur. Facit textus *Exod. 21. vers. 13. & 14. junct.*
Deuter. 19. vers. 10. 11. 12. Carpzov. prax. crimin. part. 1. quest. 28.
n. s. 11. & 12.

Thef. XIII.

4. Jus Civile & Canonicum; quia vim vi repellere
licere utroq; jure confirmatur. *dict. l. 3 de J. & J. l. 4 l. 45. §. 4.*
ff. ad L. Aquil. l. 1. Cund. vi. c. 2. 3. & c. 18. Extrà de Homicid. c.
dilecto filio d. sentent: excomm: in 6. Clem. un. de homicid.

Thef. XIV.

Cognitâ causâ efficiente Necessariæ Defensionis
remotâ, ad propinquam progredimur, quæ est *Homo*, qui
vim imminentem propulsat.

Thef. XV.

Quilibet autem cujuscunq; ætatis, sexus, aut condi-
tionis sit, se contra vim justè defendit, quia *in l. 3 ff. de J.*
& J. generali vocabulo quisq; omnes denotantur arg. l. 1.
ff. d. V. S. & illa, quæ juris gentium sunt (quibus etiam
Necessaria Defensio attribuitur) ad omnes homines &
gentes se extendunt l. 1. §. ult. l. 3. ff. de J. & J. Et hinc ne
Clerico quidem deneganda est defensio, etiam dum sa-
cra peragit. c. 2. X. d. homic. Gail. 2. obs. 110. n. 12. & lib. 1. d. pac.
publ. c. 16. n. 9. Carpzov. prax. crim. part. 1. q. 28. n. 6.

Thef. XVI.

Quæri hîc posset, an Mediator (quem etiam pro a-
gente defensionis causâ largo modo accipere licet.)
actione injuriarum conveniri possit, si sese interponen-
do alterum læserit? Existimamus illum impunè esse di-
mittendum, si nocendi & injuriandi animus abfuerit.

Thef. XVII.

Thef. XVII.

Causam efficientem sequitur Instrumentalis, quam
constituunt arma, quibus quis ad sui defensionem utitur.

Thef. XVIII.

Non autem refert, quænam arma quis adhibeat, sed
quodcunq; teli genus necessitas & occasio suppeditat,
merito admittimus §. 5. *Inst. de publ. judic. l. 9. l. 11. §. 1. ff. ad
L. jul. de vi publ. modò defendendi, non verò nocendi ani-
mo arma arripiantur, per d. l. 3. ff. d. J. & J. & d. l. 2 & 3. C. ad L.
Cornel. de Sicariis.* Neq; enim paritatem armorum præcisè
requirimus, cum interdum aggressor viribus tantum præ-
stet, ut hic baculo, imò solâ manu plus. quàm alter ense
efficere queat; stultum quoq; foret, cum quis firmiorib9
armis se defendere possit, his abjectis, suæ salutis obliviscet.

Thef. XIX.

Sic quoq; nulla inter locum constituenda est diffe-
rentia, ubi se quis defendere debeat; sed perinde est, an
quis sacro, aut profano, an publico, aut privato loco ad-
ortus defensionem suscipiat. Textus enim generaliter
loquens, nec limitationem ex aliis textibus recipiens,
generaliter est accipiendus, & ad omnes casus, quos ne-
citat ex rationis identitate, extendendus l. 12. & 27. ff. d. L. L.

Thef. XX.

Post causam Efficientem & Instrumentalem, confi-
deranda venit causa Subjectiva, contra quas nimirum
personas defensio nobis sit concessa.

Thef. XXI.

Sicut autem non interest, quis ille sit, qui vim inju-
stam repellit, ita nec referre putamus, quicumq; illam in-
ferat, sed contra quemcunq; vim atq; injuriam inferen-
tem defensionem esse licitam existimamus l. 3. ff. d. J. & J.
l. 48.

l. 48. §. 4. ff. ad L. Aquil. & l. 1. C. unde vi. Ubi enim vis atq;
injuria, ibi propulsationi locus est. Adeò ut etiam contra
Magistratum ejusq; officiales, vim vitæ extra officii me-
tas, injustè & iniquè inferentes, terectè defendas. arg. §.
pen. Inst. d. J. N. G. & C. §. ult. in fin. Inst. de legitima agrat. tut.
l. 3. §. 1. ff. quod met. causa l. 32. ff. d. injur. l. 170. ibiq; Dec. ff. d. R. I.
l. 5. ibiq; Bart. l. 7. C. de jur. fisc. Clem. pastoral. §. Cæterum, de re
judic. c. scelus. caus. 2. q. 1. Dec. in l. 167. §. 1. d. R. J. n. 4. & s.
Regn. Sixtin. vol. 2. consil. Marp. 10. n. 105. 108. 109. Gail. 2. Observ.
76. n. 3. & seqq. Mynsing. cent. 5. Observ. 18. n. 1.

Thef. XXII.

An verò liberi parentibus quoq; resistere, eorumq;
vim atrociorè vi repellere possint? non caret contro-
versia. Plurimi adstipulantur Affirmantibus; Nos verò,
Negativam conscientiæ magis consulere, arbitramur.
arg. 4. præc. Decal. Gen. 22. v. 9. 10. ad Col. 3. v. 20. præprimis si
ex causa aliqua probabili vis à parente inferatur arg. Deu-
ter. 21. v. 20. in f. l. 20. l. 22. §. 1. l. 23. l. 32. ff. ad L. jul. de adult.
Parentū n. persona liberis semper honesta ac sancta vide-
ri debet l. 9. ff. de obseq. Parent. & Patron. præst. l. 6. ff. de injus
voc. l. 4. ff. de curat. fur. & c. Eleganter Plato lib. 9. d. LL. Filio
ne pro defensione quidē sua, si à parentibus se videt interfectum
iri, lege ullà conceditur, ut parentes, à quibus in lucem est edi-
tus, interimat; sed omnia potius sustinere præcipitur, quam quic-
quam hujusmodi facere. Nam licet Pater sit impius, & le-
gum contemptor, tamen pater est. Nov. 12. c. 2. in fin.

Thef. XXIII.

Causam Defensionis Objectivam faciunt, vel Perso-
næ vel Res, pro quibus sc. Defensione uti licet. Personæ
vel sunt Propriæ, vel Necessariæ, vel Extraneæ. Proprias
se rectè defendere omnia jura permittunt, l. 3. ff. de J. & J.
l. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 4. ff. ad L. Aquil. Bocer. de Bello &
Duello c. 10. n. 106

Thef. XXIV.

Thef. XXIV.

Necessarias quoq; personas, quæ vel cognationis, vel affinitatis vinculo nobis sunt conjunctæ, cujusmodi sunt parentes, liberi, fratres, consanguinei, affines &c. quibus ob individuum vitæ consuetudinem adsociantur quoq; Conjuges, jure defendendas arbitramur; injuria enim & violentia uni harum personarum illata, ad alterius quoq; dolorem & injuriam pertinere videtur. *l. 1. §. 3. ff. de injuriis. l. 8. §. 3. ff. quod met. caus. l. 4. ff. de curat. furios. dand. & tot. tit. C. de alend. lib. ac parent. l. 35. princ. ff. de procur. l. 1. ff. de ritu nuptiarum. Nov. 117. c. 9.*

Thef. XXV.

Sed & Personæ Extraneæ rectè defenduntur *l. 3. ff. de J. & J. l. 6. §. pen. & ult. ff. de re militari. Const. Criminal: Carol. V. §. item: So einer zu rettung eines andern &c. non solum, quibuscum nobis est aliqua familiaritas, verum etiam omnes in universum Christiani: eum lavacrum regenerationis inter omnes fraternitatem constituat *can. ad mensam caus. n. 93.**

Thef. XXVI.

Hinc memorabilis est D. Ambrosii sententia *in can. non in inferenda caus. 23. 93.* Qui non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit. Quinimò non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori definit obviare *c. seq. qui potest, c. fortitudo & c. ostendit Propheta dict. caus. 23. 93. c. dilecto filio. d. sentent. excommun. in 6. dummodò sine propriæ vitæ, & salutis periculo defensio alterius suscipi possit: neq; enim salus alterius salutis propriæ est anteterenda. arg. l. 6. C. d. servit:*

Thef. XXVII.

Explicatâ primâ objecti defensionis parte, quæ erat de defensione personarum, ad alteram quæ est de defensione rerum progredimur.

B

Thef.

Thef. XXVIII.

Res autem à nobis defendi posse, omnes statuunt. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi*; An verò ob Rerum defensionem inuasorẽ occidere liceat, maxima est controversia. Nobis arridet illorum sententia, qui volunt, neminem temporalium Rerum jacturã ita commoveri debere, ut Hominem interficiat. Hic enim ad imaginem Dei est creatus. *Genes. 1. vers. 27. c. interfecisti. 2. Extra de Homicid. Res autem propter hominem sunt datæ. l. 28. in fin. ff. de usur. neq; ulla est proportio inter Res s. bona cadauca, & animam hominis pretioso Christi sanguine redemptam, exindeq; omnibus rebus, etiam pretiosissimis anteferendam l. 21. C. d. S. S. Eccles. Vita deniq; semel amissa nunquam, res verò ablata actionibus legitimis recuperari possunt, princ. Inst. d. act. l. 13 ff. quod met. caus. l. 7. ff. ad L. jul. de vi privata.*

Thef. XXIX.

Nisi res suas defendens in vitæ periculum simul præcipitetur, & aggressor Rerum in simul fiat aggressor Personæ; tum enim internecio alterius non tam pro rebus servãdis, quàm pro tutela corporis facta censetur. *Exod. 22. vers. 2. d. l. 4. §. 1. l. 5. pr. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. 9. de vi & vi armata. l. 54. §. 2. de furtis l. 9 ff. ad L. Cornel. sicar. l. 2. C. und. vi.*

Thef. XXX.

Et quamvis fama & existimatio thesaurus sit inæstimabilis, omnibusq; mundi divitiis præferendus, *proverb. 22 vers. 1. Eccles. 7. vers. 2. Syrach. 42. vers. 15. 16* quinimò ipsi vitæ æquiparetur *l. 7. §. 1. l. 8. §. 2 ff. quod met. caus. l. 9. ff. d. manum. vindic. l. 4. C. d. malef. & mathemat. Ita ut crudelis dicatur, qui famam suam negligit. c. nolo. caus. 12. q. 1. Cujus aurea verba non possum non hic ascribere: Propter*

pter nos; inquit Augustinus, conscientia nostra sufficit nobis: propter vos, fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt Conscientia & fama. Conscientia necessaria est tibi, Fama proximo tuo, qui fidens conscientiaæ suæ negligit famam suã, crudelis est. *Hactenus ille:* Non tñ. defensionē ejus cū morte injuriantis vindicandã esse præcedētes rationes suadent, quodocunq; enim remedio ordinario uti licet, ad extraordinarium non est deveniendum. *l. 7. §. 1. in fin. ff. d. in integrum restit. l. 16. pr. d. minor.*

Thef. XXXI.

Et hinc quæstio illa, quæ communiter moveri solet. An provocatus ad duellum hisce vel similibus verbis: *Wistu ein redlicher Kerl / und kein Schelm / so kom her aus un wehr dich meiner /* cū provocante in arenam descendere, & illum impunè occidere possit? Negativè decidenda venit. Tale enim duellum, tanquam omni jure prohibitum, ex vindicta privata acceptantem, & adversus Deum, & adversus Magistratum & adversus proximum, imò quoq; adversus se ipsum peccare, & si funestus exitus sequatur, ordinariã legis Cornelie poenã afficiendum esse, statui-
mus dict. l. 13. ff. quod met. caus. l. 76. d. R. J. t. t. ff. C. ad L. Cornel. de sicariis.

Thef. XXXII.

Nisi cum famæ & existimationis nostræ læsione corpus quoq; ipsum atrociter petatur & afficiatur. Unde qui stuprum sibi vel suis inferentem occidit, dimittendum Divus Hadrianus rescripsit. *l. 1. §. pen. ff. ad L. Cornelia de sicar. junct. l. 8. §. 2. ff. quod met. causa. can. non est nostrum caus. 23. q. 5. Const. Criminal. Carol. V. art. 142. in princ. Uti n. vita, sic quoq; pudicitia semel deperdita nunquam restaurari potest c. si Paulus. caus. 32. q. 5.*

Thef. XXXIII. Explicatâ causâ Efficiente, Instrumentali, Subjectivâ, & Objectivâ defensionis, ordo exigit, ut ejus Formam consideremus.

Thef. XXXIV. Forma Necessariæ Defensionis consistit in Modamine inculpatæ tutelæ; Hoc vero positum est, in legitima proportione inter periculum, & periculi propulsationem s. inter offensionem & defensionem. Ut scil. l. quis ab alio insultatus & in discrimine vitæ sit constitutus, ita ut aggressoris manibus aliter elabi nequeat, neq; enim quilibet insultus defensionis sufficit, sed talis, qui vitæ discrimen infert *p. dict. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 3. de J. & J. l. 1. C. unde vi. clem. un. de homicid. Const. Criminal. Car. V. art. 140.* Soeiner jemand mit einem tödlichen Waffnen oder Wehr überläufft / ansicht oder schläget / und der benöthigte kan süßlich ohne Gefährlichkeit oder verlegung seines Leibes / Lebens / Ehr / und guten leumuths nicht entweichen / der mag sein Leib und Leben ohn alle straffe durch eine rechte Gegenwehr retten / *art. 142. in pr. vers. Oder so der Kläger &c. 2. Ut tutela nō læsionis sed defensionis; non vindictæ, sed propulsationis gratiâ suscipiatur dict. l. 45. §. 4. l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de sicar: 3. Ut Defensio in continenti, præsentē ac durante offensione fiat. l. 3 § 9. l. 17. de vi & vi armata. vid. Carpzov. prax. crim. p. 1. q. 28. n. 19. & aliquot seqq.*

XXXV.

Nemo tamen insultatus primum ictum ab aggressore expectare tenetur, sed præparatoria percussionis certò subsequetur, ad propulsandum sufficiunt *l. 3 C. ad L. Cornel. de sicar. l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. Const. Criminal. Carol. V. artic. 140. in verb.* Ist auch mit seiner Gegenwehr / bis Er geschlagen wird / zuwarten nicht schuldig. Melius enim

enim est in tempore occurrere, quam post vulnera-
tam causam remedium querere. *l. ult. C. in quibus caus.
integrum rest. non est necess. l. i. C. quand. lic. unic. se sin. jud.
Ob rech. de necessaria defensione c. ii. n. 101*

Thef. XXXVI.

Quod si tamen ab armato insultatus sine pericu-
lo vitæ aut famæ suæ, & extra officii necessitatem fu-
gâ sibi consulere possit, illud omninò facere, tene-
tur §. 2 *Inst. & l. 45. §. 4. in prin. ff. ad L. Aquil. Const. Cri-
minal. Carol. V. articul. 140.* So einer jemand mit einem
tödelichem Wassen oder Wehr überläuffe / an sichte / oder
schlägt / und der Werdthigte kan sÿglich ohne alle fÿhr-
ligkeit / oder Verletzung seines Leibes / Lebens /
Ehr und guten Leumuths nicht entweichen zc.
Argumento à contrario sensu ducto. ut & præd.
constit. art. 142. *in med. vers.* Mehr so für geben
wird / der Todtschläger were dem Werdthigten woll
sÿglicher weise / und ohne gefÿhrlichkeit / seines Lei-
bes und Lebens / Ehren / und guten Leumuth hat-
ber entweichen zc. Tutius enim est retrocedendo pu-
gnam detrectare, quam incertâ victoriâ pugnare &
effusione sanguinis hominis conscientiam suam lau-
ciare.

Thef. XXXVII.

Properamustandem ad Causam defensionis Fi-
nalem ejusq; Effectum: Finis Defensionis, duplex vi-
detur Primarius & Secundarius. Ille est ex intentione
agentis, corporis Tutela. *l. 3. ff. d. 7. & 7.* Hic verò, qui
præter intentionem Defensoris accidit, est occisio
aggressoris.

Effectus verò Defensionis tantus est, ut defensor propriæ salutis, moderamine inculpatæ Tutelæ servato, in nullo peccasse videatur *l. 3. C. ad L. Cornel. d. sicariis* & non solum ab omni pœna, in foro civili, absolvatur *Const. Crim. Caroli V. art. 139. in verb.* Welcher den jenigem der ihm also benöthiget / in solcher Nothwehr entleibet / der ist darumb niemand nichts schuldig / *Art. 40. ibi.* Und so er also den benöthigten Entleibet / ist er darumb nichts schuldig. *Carpzov. prax crim. d. p. 1 q. 28. n. 30. & seqq.* sed etiam in conscientiæ foro tutus esse queat, *Carpzov. prax. crim. p. 1. q. 28. n. 10.* omni enim jure defensionem esse licitam supra thes. 10. 11. 12. & 13. diximus. quod autem fit jure permittente, pœnam legis non meretur. *l. 4. C. ad L. Jul. de adult.*

Thes. XXXIX.

Qui vero legitimæ defensionis limites egreditur, siquidem dolo manifesto excessum gravissimum committit, illum meritò ultimi supplicii pœnâ afficiendum esse censemus, secundum *Const. criminal. Carol. V. articul. 142. verb.* Nemlich ist hierin zu merken. *in verb.* Das fürter die Straff am Leib / und Leben / oder aber zur Buß und besserung erfandt werde. *l. 1. pr. ff. L. ad Cornel. de sicariis.*

Thes. XXXX.

Sin autem non dolo malo sed culpâ aliquâ moderamen hoc quis excesserit, ob justum dolorem, quem temperare difficillimum est, *l. 38. §. 8. l. 4. c. ad L. Jul. de adult.* à pœna quidem ordinaria Legis Cornelix eum excusari; Extraordinariæ tamen veluti fustigationi, relegationi, carceri vel etiam multæ pro ratione circum.

circumstantiarum subjacere statuimus. d.l. 32. & d. l.
4. l. 14. §. 6. ff. de bonis liberti. dict. l. 1 §. 3. ff. ad L. Cornel. de
sicariis & Const. Criminal. d. artic. 142. d. vers. Nemblisch
ist w. Carpzov. prax. crim. p. 1 q. 28. n. 15. 16. & seqq.

Thes. XXXXI.

Ut a. Absolutoriam insultatq; obtineat, moderamen
incolpatae tutelae, quod praecedat, probare tenetur, arg.
l. i. c. de probat. l. i. ubi, qui si probaverit, non occidendi animo
hominem a se percussum esse. C. ad L. Cornel. de scar. const.
crim. caroli V. art. 141. art. 142. in med. & art. 143. Vel
Testibus: quandoq; etiam, cum veritas aliter haberi
nequit, ob defensionis ac innocentiae probandae fa-
vorem, minus aliis idoneis, veluti domestico, con-
sanguineo, affine &c. Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 22.
Myns. cent. 5. obs. 13. n. 1. & de credulitate saltem depo-
nentibus Gail. d. loc. Carpzov. prax. crim. d. p. 1. q. 33. n.
41. 42. Vel si caedes facta sit nemine praesente & viden-
te. Praesumptionibus atq; conjecturis const. crim. car.
V. art. 143. Carpzov. part. 4. const. 8. def. 2. Vel deniq;
adminiculantibus praesumptionibus & cessante perju-
rii periculo. Juramento occisoris. Carpzov. d. loc. def. 3.
Idem in in prax. crim. part. 1. q. 33. n. 61.

Thes. XXXXII.

Praesumptiones ac conjecturae istae desumuntur,
Partim ex utriusq; personae tam occisi, quam supersti-
tis statu, conditione & antea facta vita, uter illorum
majorem fidem & innocentiae opinionem mereatur;
Partim ex loco, ubi caedes facta; Partim ex armorum,
quibus quis usus fuit, genere; Partim ex numero &
qualitate vulnerum; Partim ex tempore; Partim ex
iis quae caedem praecesserunt, utrum scilicet inimicitiae
inter-

intercefferint, quis causam illarum dederit, vel quæ
alia iixæ causa fuerit; Partim deniq; ex iis, quæ cæ-
dem subsecuta sunt, quo animo superstes fuerit, & quo
modo se gesserit &c. quæ omnia prudenti Iudicis ar-
bitrio secundum omnes facti circumstantias in conci-
pienda sententia trutinanda committuntur, *Const.*
crim. Carol. V. ars. 143. in f.

SOLI DEO GLORIA.



Quid



Quid nisi præclarum de te sperare licebit
Marckmanne Aonii lausq; decusq; chori
Carpis iter virtutis ovans, erit hora brabei.
Cum carpes fructus, quos parit iste labor.
Sic voveo & spero; nec me sententia faller
Dum Deus huic voto pondus inesse velit.

PRÆSES.

Lætor & applaudo tali *Marckmanne* labori,
Musarum in castris quem generose subis.
Sic decet insani Martis ridere furores
Nec fieri Patriæ nomen inane suæ.
Mars licet usq; fremat; tandem nos læta reviset
Pax, & Castalides non sine honore Deæ.
Gratulor hinc; largos tandem te spondeo fructus
Messurum; meruit quos tuus hicce labor.

*Ita convictori & conterraneo suo
suavissimo applaudebat*

Christianus Schröder /
J. U. L.

Quo

QUo se cunq; modo quis defendere debet
Nunc MARCMANNE doces: maximus ergò tibi
Adsit Defensor! Themidos te Numina firment!
Sic defende theses; sic benè ceder opus,
Te Defensorem fortem benè, Patria laudat,
Laudat Juno, VENUS, Pallas & alma Themis,
Præmia promittunt; Themis en tibi spondet
Honores
Deq; bonis solvet Præmia quæq; suis.

*Conatibus his & futuris Cl. Dn. Marcmanni,
cum gratulatione applaudis*

J. Moltke,

Non planè omnimodam pecori natura negavit
Montivago pugnam, quodvis sua robora sentit.
Enatis nondum vitulus tibi fronte minatur
Cornibus: infirmis suevit pugnare catellus
Dentibus. An nobis liceat defendere corpus,
Eruis indicis certis MARCKMANNE, fidelis
Sectator Themidos, nostræ pars intima mentis.
Gratulor his cœptis; Numen Tua porro secundet
Facta: diu valeas; cedant Tibi prospera quæq;.

*Adtestandum sinceri animi affectum
hec lmg. apposuit*

Jacobus Lippius, Lübe-
censis, Phil. & S. S. Th. Stud.
Horren-

Horrendum, auditum nunc est defendere verbū,
Intestumq; malis; Cujus sub schemate Rectum
Occidit & sanctum toto fas pellitur orbe.
Quicquid belliferi pugnat gravis ira Gradivi:
Quicquid Causidici corruptrix lucta refellit:
Quo cœlum, quo terra ruit, quod & omnis in hostē
Hostis, habet, vario subit hunc sub tegmine fucum,
Et pugnam excusat, totumq; impendit in hostem:
Ac sua vult tantum se defendisse videri.

Ast tua non tantæ, est felix Defensio noxæ
Marckmanne, Aonidum fili, cultorq; Themistæ.
Pax, tua tota via est; hostisq; est certus amicus.
Non armis gravis es, quam quæ tibi præstat inermis
Lingua, & sectatrix sacrati industria Juris,
Sedem Conflictûs præbet benefuada cathedra,
Et Phœbi penetrabile. Acies est tota pedestris,
Quam tuba vexantum committit docta logismum,
Pugna est in verbis: Queis ne petulantia rancam
Intendat litem, totum quod lædere possit
Lege exesse, jubes. Victoria, certa penes Te,
Sed ceu pugnavisti tali quq; pace triumphas.

Sic inculpatum inferras tutamen, amice;
Onciuam rixas sic totus tolleret orbis,
Atq; hoc processu quævis Defensio staret!
Quam tunc dulce auditu esset defendere verbum,

*Pereximio & florentissimo. Dn. Marckmanno
Conterraneo suo & amico optimo appl.*

J. Rølingius. Holf.
Ut

UT se defendant cæca ratione feruntur
Bruta, nec ad mortem contutit ossa timor.
Fulmineo rotat ore canes Sus excita sylvis;
Et Leo venantum corpora sternit ovans.
Tentant se volucres uncis defendere rostris;
Lædentem pungit vipera pressa pedem.
Quis neget hoc homini, quod brutis, posse licere?
Sed tamen hic ratio, quæ moderetur, erit.
Tu MARCKMANNE doces, quo se moderamine quisq;
Defendat; tradit pagina docta modos.
Invida iam cesset convicia fundere Livor
Quid nunc, quod rodar, Dens male sanus habet.
Gratulor hinc meritò Tibi semper amande sodalis,
Semper Thesæa tuq; colende fide.
Gratulor & vos, meritos Tibi tradat honores
Pallas: sit faustum, quod meditaris iter.

*Ita literatissimo Dn. Respondenti, conterraneo
& Amico suo singulari accinebat l. mg^o*

Joachim Mestorff.
Neost. Holl.



Horrendum, auditum nunc est
 Infestum q̄; malis; Cujus sub f
 Occidit & sanctum toto fas pellit
 Quicquid belliferi pugnat gravis
 Quicquid Causidici corruptrix lu
 Quo cœlum, quo terra ruit, quod
 Hostis, habet, vario subit hunc sub
 Et pugnam excusat, totum q̄; imp
 Ac sua vult tantum se defendisse v
 Ast tua non tantæ, est felix Def
 Marckmanne, Aonidum fili, culte
 Pax, tua tota via est; hostis q̄; est co
 Non armis gravis es, quam quæ tib
 Lingua, & sectatrix sacrati industr
 Sedem Conflictûs præbet benefu
 Et Phœbi penetræ. Acies est tot
 Quam tuba vexantum committit
 Pugna est in verbis: Queis ne petu
 Intendat litem, totum quod læde
 Lege exesse, jubes. Victoria, certa
 Sed ceu pugnavisti tali quq; pace tri
 Sic inculparum inferras turam
 Oucinam rixas sic totus tolleret o
 Atq; hoc processu quævis Defens
 Quam tunc dulce auditu esset def

*Pereximio & florentissimo
 Conterraneo suo & ami*

J.



e verbū,
 ectum
 i:
 :
 n hostē
 fucum,
 stem:
 istæ.
 us.
 ermis
 ra,
 ,
 smum,
 cam
 bum,
 s. Holf.
 Ut